



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. ad dandam gratiam fuerit institutus, vel cuius rei gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

explicauit illis, quomodo Ioannes baptizaret, vt eos doceret, quia ratione fieri poterat, vt baptizati essent Baptismo Ioannis, & nihil de Spiritu Sancto audiuis-
Hieroh. sent: ergo supponit, potuisse illos accipere integrum, Ioannis baptismum, sine Spiritu Sancti inuocatione. Et ita intellexit hunc locum Hieronym. loco supra citato, & idem indicat in epistol. 15. o. ad Hedibiam. quæstion. 2. Præterea constat hæc veritas, quia Christus fuit, qui hanc formam instituit, vt constat ex verbis illis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. ultim. Ac meritò, quia expressa fides Trinitatis non est omnibus publicè prædicata, nisi per Christum, & Apostolos, non per Ioannem. Rursus (vt infra dicemus) baptismus Ioannis non dabat Spiritum Sanctum; neque ergo necesse erat in illo inuocari. Vnde quod Ioannes ipse dixit. *Ego vos baptizo in aqua, alius veniet qui fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Exponi potest tum dando, tum etiam inuocando Spiritum Sanctum. Vnde apud Augustin. libr. 2. contra literas Petilianum, capit. 32. habentur hæc verba, *Ioannes dedit aquam sine nomine Trinitatis, sicut ipse professus est dicens, ego baptizo vos in aqua, &c.* Fateor tamen hæc verba esse Petilianum, non Augustinum, cæterum quia Augustinus illa admittit, sententiam approbare visus est.

Baptismus Ioannis non fuit sub ulla forma verborum.

Dico secundo, ex scripturis colligi non posse an Ioannes baptizauerit sub certa forma verborum, nec ne illis tamen, & rationi magis consentaneum videtur, Ioannem in suo baptismo nulla formam fuisse. Prior pars constat, quia in Euangelio, vbi præcipue narratur huius baptismi historia, nulla talis formæ fit mentio, neque etiam in loco illo Actuum, quia ibi non dicitur, Ioannem baptizasse in nomine Christi, seu inuocando illud, sed dixisse, vt crederent in eum, qui venturus esset post ipsum. Quorum verborum sensus apertus est Ioannem docuisse, & monuisse eos, quos baptizabat, vt in Christum crederent, ex quo non fit, vt formam illam suo baptismi adhiberet, quia non est sermo de forma, sed de doctrina, vt latè Chrysostom. in Matt. quanquam eo loco nihil dicat de prædicto Pauli testimonio, sed solum prædicationem, & baptismum Ioannis explicet.

Chrysost.

Posterior pars declaratur primo, quia vbique in Scriptura tantum dicitur Ioannis baptisma fuisse in aqua, non est ergo vnde asseramus fuisse etiam in verbo, seu habuisse formam aliquam. Deinde est coniectura, quia postquam Ioannes aliquo tempore baptizauit, miserunt ad eum Pharisei interrogantes, an esset Christus, ergo signum est illum non fuisse solum baptizare in nomine Christi venturi. Præterea, vel intelligitur baptizasse in nomine Christi venturi, solum eo sensu, quo Iudæi credebant, Christum esse venturum, & hoc non est verisimile: tum qui Christus tunc non erat venturus hoc sensu, sed iam venerat, neque ad Ioannis munus pertinebat prædicare hoc modo Christum venturum, sed præsentem; vel baptizabat in nomine Christi venturi, id est, quia iam iam manifestandus erat hominibus, & baptizaturus eos in spiritu. Quomodo intelligendum videtur, quod dicit Paulus prædicto loco, Ioannem docuisse homines, vt crederent in eum, qui post ipsum venturus erat: at, si Ioannes baptizasset hoc sensu explicato, ante baptismum exigeret ab hominibus fidem illius, in cuius nomine baptizandi erant: hoc autem non esse verisimile non obscure colligitur ex Marc. tertio, & Lucæ septimo. Ad hæc est alia coniectura, quia si Ioannes baptizaret sub illa forma, etiam Christum sub eadem baptizasset, consequens autem videtur absurdum. Dices, in Christo non seruasse illam formam, vt respondent Paludanus & Marsilius. Sed contra, quia sequitur reuera Christum non recepisse baptismum Ioannis, sicut non recipit nunc Sacramen-

Marc. 3. Luc. 7.

tum Baptismi, qui abluitur sine forma. Deinde, cum ille baptismus fuerit potissimum institutus, vt esset occasio parandi viam Christo, vt ipse baptizaretur ad sanctificandas aquas, credendum est eo modo fuisse institutum, quo expediebat vt Christo commodè applicaretur. Tandem in Sacramentis nouæ legis, formæ verborum institutæ sunt, quia sunt aptæ ad expressius significandos spirituales effectus gratiæ horum sacramentorum, & ad inuocandam, seu applicandam virtutem Diuinam, quæ in eis principaliter operatur: sed in baptismo Ioannis non dabantur gratia, aut spirituales aliqui effectus (vt iam dicemus) nec virtus Diuina specialiter in eo operabatur, ergo non fuerunt in eo verba necessaria: sicut neque in Sacramentis veteris legis adiungebantur verba propter eorum imperfectionem, & propter prædictam causam.

Vltimò igitur ex ijs concluditur, totam substantiam, & essentiam illius baptismi positam fuisse in exteriori aquæ ablutione. Patet tam ex dictis testimonijs Scripturæ, quàm à sufficienti enumeratione, quæ exclusis verbis nihil aliud esse videtur, quod de necessitate, vel de essentia illius baptismi dici possit. Dices, si ille baptismus tantum erat ablutio quædam exterior, nihil ergo habebat sacri, nihilque à communi, & vulgari ablutione differebat. Respondetur negando consequentiam, nam illa cæremonia ex intentione, & speciali deputatione, seu impositione, & modo quo fiebat, habebat rationem quandam signi, & cæremoniæ sacræ. Baptizabat enim Ioannes baptismum penitentiæ in remissione peccatorum. Vnde ille baptismus erat signum quoddam subiectionis, & humilitatis, quo homines sese peccatores profitebantur, & indigere interna ablutione, atque remissione peccatorum. Erat enim ille baptismus ad significandum perfectiorem baptismum Christi futurum: & ita licet materialiter non esset nisi ablutio aquæ: tamen in ratione talis cæremoniæ, & signi à communi ablutione differebat.

Baptismus Ioannis in externa aqua ablutione positus. Obiectio. Responsio.

SECTIO II.

Vtrum baptismus Ioannis, ad dandam gratiam fuerit institutus, vel cuius rei gratia.

Explicata essentia & natura huius baptismi, sequitur vt aperiatur causæ eius. Et quoniam intrinsecæ causæ cum rei substantia coincidunt, superfluum tantum extrinsecæ explicandæ, dicemus ergo primò de finali, quoniam hæc quodammodo prior est, & rei naturam maximè declarat, præsertim in rebus arte, seu vsu hominum factis, simul verò dicemus de effectu, quoniam finis, & effectus in eandem rem incidunt. Hæretici ergo huius temporis contendunt baptismum Ioannis non minus contulisse gratiam, quàm nostrum, qui sanè consequenter videntur loqui. De nostro enim baptismo dicunt, non conferre gratiam nisi excitando fidem, quis autem neget etiam baptismum Ioannis potuisse excitare fidem? Et hæc videtur esse antiquior hæresis Donatistarum, vt colligitur ex citato loco Aug. li. 2. contra Petilianum cap. 23.

Dicendum verò est primo, baptismum Ioannis non habuisse virtutem conferendi gratiam, neque ad hunc finem fuisse institutum. Hæc assertio est de fide. Et probatur primo ex Scriptura, Sactorum expositionibus adiunctis. Nam Matt. & Luc. 3. Marc. & Ioannis. 1. differentiam constituit ipsemet Ioannes inter suum, & Christi baptismum, dicens. *Ego baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Quæ differentia ita sumenda necesse est, vt intelligatur baptismus Ioannis non contulisse

Baptismus Ioannis non contulit gratiam. Matt. 3. Luc. 3. Marc. 1. in Spiritu Sancto. Quæ differentia ita sumenda necesse est, vt intelligatur baptismus Ioannis non contulisse

tulisse gratiam, & spiritum. Nam cum uterque baptis-
mus Ioannis, & Christi sint in aqua, certe cum in-
ter eos constituitur differentia, & Ioannis baptisma
esse in aqua dicitur, necessario intelligendum est esse
tantum in aqua baptismum autem Christi habere
utrumque, aquam scilicet, & spiritum, ut dicitur
Ioan. 3. Vnde eleganter Richar. Viñ. tract. de baptis-
mo. *Christi Ioannis baptizatur in aqua solum, sicut homo, Ie-
sus in aqua, & spiritu Sancto, sicut homo Deus. Baptizatur
in aqua, & spiritu est omni forde peccati mundare, in-
super gratia infundere.* Idē docent Ori. c. 8. in Ioā. Cyr.
lib. 1. in Ioā. c. 26. & lib. 2. c. 57. Chryso. ho. 10. 11. & 12. in
Matth. Vbi expresse dicit in Christi baptismo dari
Spiritus Sancti gratiam: Ioannis autem baptismum
hoc dono caruisse, & hom. 16. in Ioan. id confirmat
illis verbis, quæ dixerunt quidam baptizati baptis-
mo Ioannis Act. 19. *Sed neque si spiritus Sanctus est, au-
diuimus.* Idem ho. 40. in acta Apost. Nazian. orat. 39.
in sancta lumina, prope finem dicit, baptismum
Ioannis non fuisse omnino similem Iudeorum bap-
tismatibus, quia ad poenitentiam dabatur, neque
etiam fuisse æqualem baptismum Christi, quia spiritum
non dabat. Cuius sententiæ sensus esse videtur,
Ioannis baptismum non fuisse, vel solum signum,
aut figuram futurorum, sicut fuit transitus maris
rubri, vel ad tollendos aliquos legales defectus, vel
immunditias, sicut erant Iudeorum lauacra, sed
fuisse ad excitandos homines ad poenitentiam, eos-
que ad Christi baptismum disponendos, & in hoc le-
galia baptismata superasse: fuisse tamen in inferiori
baptismo Christi, quia gratiam ex opere operato nō
conferbat. Eodem modo Basil. loquitur hom. 3. &
lib. 1. de baptismo non longe à principio. *Quantum
differunt inter spiritum, & aquam, tantumdem vi-
delicet est inter eum qui baptizat in spiritu Sancto, &
eum qui baptizat in aqua.* Vnde Damasc. lib. 4. cap. 16.
propter hanc causam baptismum Ioannis *rudimen-
tarium*, appellat. Eandem sententiam latē docet Hie-
ron. dial. contra Luciferianos, ubi contrarium er-
rorem vocat *dogma peruersum*. Eandem sententiam
tradunt Ambr. præfat. in Psalm. 37. Greg. hom. 7. in
Euangelia, August. frequenter contra Donatistas li.
2. contra literas Petilian. cap. 32. & lib. 3. cap. 56. &
lib. de unico baptismo cap. 7. & lib. 5. de baptismo,
capite 9. & 10. & epistol. 48. ad finem, & præterea in
Enchirid. cap. 49. & lib. questionum noui testamē-
ti, q. 29. optimē Leo Pap. epistol. 4. c. 6. Denique vide-
tur hæc veritas definita in Concilio Trident. sess. 7.
canon. 1. de baptismo, ubi anathemate ferit, qui di-
xerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim, quam
habuit baptismus Christi. Nam licet posset aliquis
tergiuerfari dicens, hinc solum colligi baptismum
Ioannis non contulisse tantam gratiam, vel eisdem
spirituales effectus omnes, quos Christi baptismus,
non verò nullum omnino contulisse, aut peccatum
non remisisse. Quæ interpretatio, si nuda verba con-
sideremus, non potest ex illis satis confutari: si tamē
attendamus mentem Concilij, quæ non est alia,
quàm Scripturæ, & sanctorum, quibus nititur, in-
telligemus apertē non fuisse intentionem eius com-
parare hæc baptismata in quantitate virtutis: sed in
specie (ut ita dicam) quia vnum habet vim conferē-
di gratiam, qua caruit aliud. Ratio vero seu con-
gruentia est, quia Ioannes neque erat author gratiæ,
nec redemptor peccatorum, sed præcursor redem-
ptoris, ergo neque oportuit, nec decebat, ut ante Chri-
stum institueret baptismum, quo gratiam daret, vel
ex opere operato peccata remitteret, hoc enim ad
illius munus non pertinuit: sed solum, ut sua prædi-
catione homines ad gratiam Christi suscipiendam
præpararet. Et ideo de Christo dictum est. *Gratia &
veritas per Iesum Christum facta est.* Ioan. 1. de Ioanne
verò solum dicitur, *Præbens ante Dominum parare vias
eius.* Luc. 1. Hanc rationem attigit, & eleganter expli-
cuit Tertul. lib. de bapt. cap. 10.

A Dico secundo Ioannis baptismus solum fuit in-
stitutus, ut Christi manifestationi, ac ostensioni de-
seruiret, atque viam ac baptismum Christi pararet.
Ita docuit ipsemet Ioannes illis verbis, *sed ut manife-
stetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Io-
ann. 1. Quomodo autem baptismus ille ad manife-
standum Christum contulerit, varijs rationibus ex-
plicuit D. Thom. hic art. 1. Nam in primis, sicut præ-
dictum erat, venturum esse Messiam, ita de illo fue-
rat scriptum effusurum super homines aquam mū-
dam, quæ ab omnibus inquinamentis mundarentur,
Ezech. 36. & alijs locis, quæ congerit eleganter
Cyprian. epistol. 63. & ideo, ut admonerentur homi-
nes, Messiam, eiusque baptismum iam iam adesse,
decebat (ut Gregor. inquit hom. 7. in Euang.) ut sicut
Ioannes prædicatione sua, ita baptismo, homines ad
Christum, & baptismum eius excitaret. Deinde, in
ipso baptismo Ioannis manifestatus est Christus à
Patre coram vniuersa multitudine, quæ ad bap-
tismum Ioannis confluēbat, & ipse Ioannes commo-
dius hoc modo potuit Christum prædicare omni-
bus, qui ad baptismum accedebant, ut Chryso. no-
tauit hom. 16. in Ioan. & latius hom. 10. in Matth. &
Cyrill. in Ioan. c. 26. & Aug. tract. 4. in Ioan. qui alias
rationes adducunt, quæ in D. Thoma legi possunt.
Solum notanda est alia, quam retigit Aug. tractatu
5. in Ioan. his verbis. *Quare missus est Ioannes baptizans,
quia oportebat baptizari Christum. Quæ potest ad illam
de manifestatione reuocari, oportuit enim ut Chri-
stus in baptismo à Patre manifestaretur.*

Supereft verò hæreticorum obiectio, quia Matt.
3 dicitur Ioannes dedisse Baptismum poenitentiae in re-
missionem peccatorum. Quæ verba explicans Basil. lib.
de baptismo, excellentiam baptismi Ioannis ex illis
colligit, dicens. *Simul atque accesserat quis, & peccata
sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus
fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim
peccatorum remissionem accipiebat.* & Cyrillus Iero-
solymitan. cat. 3. *Baptizabantur, inquit, ab illo confiten-
tes peccata sua, primum ostendebant vulnera, deinde ille
medicamenta ponebat, & credentes liberabat ab igne æter-
no, & Aug. lib. 5. de baptismo, cap. 9. dicit, baptizati
in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum,
nulli hominum nisi Ioanni fuisse concessum, & in
illo libro q. noui testamenti, qui eius nomine circū-
fertur, in q. 29. indicatur, baptismum Ioannis remi-
sisse peccata, quamuis gratiam non contulerit. Re-
spondetur ad locum Matth. illum baptismum dictū
esse poenitentiae, quia introductus est ad excitandos
homines ad poenitentiam, quam propterea Ioan-
nes cepit prædicare, dicens, *poenitentiam agite.* Et
quia per poenitentiam remittuntur peccata, dicitur
etiam fuisse in remissionem peccatorum, non quam i-
pse per se daret, sed ad quam per poenitentiam com-
parandā, homines excitaret. Vnde eleganter Chry-
sologus serm. 137. *Erat, inquit, penes Ioannem venia,
sed non sine poenitentia, erat remissio, sed lucibus compa-
rata: & infra, Per baptismum Ioannis purificabatur ho-
mo ad poenitentiam, non promouebatur ad gratiam: at ve-
ro Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem
reddit ex vtero nouum, ut præterita nesciat, &c.* Aug. serm.
27. de tem. *Prædicabat in deserto Ioannes baptismum poe-
nitentiae in remissionem peccatorum, non quo crimina
commissa deleteret, sed quo emendaret errantes.* Nam remi-
ssio peccatorum Christi gratia seruabatur. Et hinc est,
quod in Scriptura baptismus Christi, sæpe dicitur
mundare, regenerare, & saluare, ad Ephes. 5. ad Titū. 3.
nunquam verò hoc dicitur de baptismo Ioannis.
Item quamuis ad baptismum Christi requiratur poe-
nitentia Act. 2. nō tamē ipse appellatur *baptismus poe-
nitentiae*, sicut baptismus Ioan. Quia non est solū ad ex-
citandos homines ad poenitentiam, sicut erat ille,
sed potius supponere debet poenitentiam. Deniq; bap-
tismo Christi tribuitur remissio peccatorum tan-
quam*

Baptismus
Ioannis cur
instituitur.
Ioan. 1.

D. Thom.

Ezech. 39.
Cyprian.

Greg.

Chryso. Thom.
Cyrill.
Augustin.
D. Thom.

Obiect.
Matt. 3.
Basil.

Cyrill. Iero.
August.

Responsio.

Baptismus
Ioannis bap-
tismus poe-
nitentiae.
cur dictus.
Petr. Chrys.

August.

Ephes. 5.

Titum. 3.

Act. 2.

quam proximæ causæ, vt act. 2. & alijs locis citatis: at verò Ioannis baptisma solum media pœnitentia dicitur fuisse propter remissionem peccatorum. Et idem est sine dubio sensus Cyrill. & Basil. locis supra citatis. Augustinus verò expressè negat baptismum Ioannis dedisse remissionem peccatorum; quin potius libr. 5. de baptis. cap. 10. aliam expositionem illorum verborum Matthæi indicat, quam supra tractauimus in commentario art. 1. D. Thom. dicens, Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum, quia dando baptismum aquæ; prædicabat alium baptismum, in quo erant remittenda peccata, & hoc modo dicit Ioannem, vel baptismum eius dedisse remissionem peccatorum, non in re, sed in spe. Quod ex Gregor. & Beda ibidem retulimus.

Augustin.

Greg.
Beda.

SECTIO III.

Quando fuerit institutus, & datus baptismus Ioannis, quantumq; durauerit.

DVplex distingui solet causa efficiens sacramentorum, instituens, & ministrans, & vtraque inquirenda est in baptismo Ioannis. Quia licet propriè sacramentum non sit (vt infra dicam) modum tamen sacramentorum imitatur.

Baptismus
Ioannis à
Deo.
Luc. 3.

Primo igitur de institutione Baptismi Ioannis certum est, illum à Deo duxisse primam originem. Hoc constat ex Luca cap. 3. dicente, *Factum est verbum Domini super Ioannem Zacharia filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentia.* Quibus verbis satis indicatur, hoc fuisse verbum Domini factum super Ioannem, scilicet vt ad baptizandum, & baptismum prædicandum exiret. Quod clarius explicuit ipsemet Ioannes dicens Ioann. 1. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit, &c.* ex præcepto ergo Dei baptizauit, hoc ergo modo baptismus ille à Deo traxit originem. Nam qui Ioanni dixit, *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto,* non fuit alius nisi Deus (fuit enim illa diuina reuelatio) idem ergo Deus illum ad baptizandum misit, vt rectè exponit Cyrill. libr. 2. in Ioan. cap. 2 & 3. dicens hæc dixisse Ioannem, *ne sua sponte præcurrere videretur, qui non sua voluntate, sed diuina dispensationis minister fuit.* Et August. libr. 4. de bapt. cap. 22. dicit, eundem Dominum Ioanni dedisse munus baptizandi, qui ab eodem baptizatus est, quod per communicationem tantum idiomatum intelligendum est (vt ipse diserte explicuit tract. 5. in Ioann.) baptizatus enim fuit Dominus in humanitate, non est autem verisimile per humanitatem misisse Ioannem ad baptizandum, sicut Apostolos postea misit, vt ex verbis Euangelij satis constat. Et confirmatur primo conclusio posita ex verbis Christi Matth. vigesimo primo, vbi Christus interrogat, *Baptismus Ioannis vnde erat, è calo, an ex hominibus?* quod idem interrogauit, quia intelligebat Phariseos non fore negaturos baptismum Ioannis fuisse è calo, & à Deo duxisse originem. Ex quo tanquam ex vero principio eos convincere volebat, quod malè agerent non credentes Ioanni, qui de ipso testimonium præbuerat, vt Chrysostom. & ceteri exponunt. Rursus confirmatur, quia non fuisset ausus Ioannes propria autoritate nouum, & inusitatum ritum introducere, quin potius ipsietiam Iudæi intelligebant id sine diuino mandato, & autoritate non licuisse. Vnde, cum Ioannes negasset se esse Mesiam, Eliam, aut Prophetam, ab eo sciscitantur. *Quid ergo baptizatus non es Christus, neg. Elias, neque Prophetas?* Acti dicerent, si non es Prophetas, ergo non habes diuinam reuelationem, & mandatum baptizandi, quomodo ergo audes propria autoritate baptizare? Ipse autem Ioannes respondit tacitè, se non propria, sed diuina autoritate baptizare, quia plus erat, quam

Ioan. 1.

Cyrill.

Augustin.

Matt. 21.

Chrysostom.

A propheta, scilicet Præcursor Domini, vnde inquit: *Ego vos baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.*

Difficultas verò superest, vtrum ille baptismus ita duxerit à Deo originem, vt ab illo fuerit immediatè institutus, an solum quia ipse misit Ioannem ad baptizandum, illi committens, vt suo arbitrio baptismum institueret. Hæretici enim huius temporis priori modo explicant institutionem huius baptismi, vt illum nostro baptismo similiorem efficiant. Nonnulli verò Catholici, vt ab illis omnino dissideant, docent, proximum institutorem huius baptismi fuisse Ioannem, cuius arbitrio, & voluntati ritus illius baptismi à Deo commissus est. Quod confirmant ex appellatione, quia in Scriptura, ille baptismus frequenter vocatur *baptismus Ioannis*, fuit ergo Ioannes non minister solum, sed institutor illius baptismi, illa enim denominatio non solet ministris attribui. Hac enim ratione baptismus Christi nunquam appellatur baptismus Petri, aut Pauli. Quam differentiam inter baptismum Christi, & Ioannis indicauit Aug. libr. 5. de bapt. c. 13. & hanc sententiam tradit Bellarmin. lib. 2. de bapt. c. 20. & Medina hic.

August.
Bellarmin.
Medin.

Nihilominus dico secundo, ritum huius baptismi immediatè esse à Deo institutum, & Ioanni traditum. Hæc est expressa sententia D. Tho. hic, art. 2. quem sequitur Sorus in 4. d. 2. q. 2. artic. 1. Et in eandem sententiam inclinat Canis. libr. de B. Ioanne. c. 7. Et satis probata videtur in commentario art. D. Thom. ex verbis illis Ioannis, *Qui misit me baptizare in aqua.* ex ijs enim habemus totum ritum illius baptismi: ergo Ioannes non tantum in genere præceptum baptizandi: sed etiam in particulari accepit ritum quo baptizaturus esset, quia ille ritus (vt probatum est) non erat alius, nisi vt in aqua fieret baptismus. Et declaratur amplius, nam in ritu illius baptismi duo possunt spectari, alterum (vt ita dicam) positium, alterum negatiuum. Positium appello, quod fiebat per abluionem naturalis aquæ, & quoad hoc negari non potest, fuisse in particulari ex institutione diuina, vt verba citata videntur convincere. Negatiuum autem voco, quod non habuit alias essentielles ceremonias, neque aliquam formam, &c. Et quoad hoc contendere posset aliquis, quamuis Deus præscripserit Ioanni, vt in aqua baptizaret: illius tamen arbitrio commississe, vt modum, & ritum talis baptismi institueret, vt v. g. quod cum forma, vel sine illa fieret, vel alio ritu. Sed hoc mihi non probatur, & varijs modis reiici potest. Primo quia de facto probabilius credimus, in illo baptismo non fuisse alium ritum præter abluionem aquæ: ergo saltem de facto totus ille ritus non fuit alius, nisi quæ Deus præscripsit, ergo gratis & sine fundamento dicitur, fuisse liberum Ioanni adiungere alium ritum, si voluisset. Deinde, quia Christus dixit Apostolis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* non solum positivè colligimus hunc ritum esse essentialem huic baptismo, sed etiam negatiuè, nihil illi adiungi posse, quod essentiale sit, ergo si Deus præcisè dixit Ioanni, *baptiza in aqua,* non solū positivè colligendum est, illum fuisse ritum essentialem, sed etiam negatiuè nihil adiungi potuisse, quod esset essentiale. Vnde licet fateremur, potuisse Ioannem suo arbitrio adiungere aliquas ceremonias: non tamen propterea dicendum esset, eas esse potuisse de essentia illius baptismi. Et confirmatur, qui vbiunque in Scriptura dicitur Ioannem baptizasse in aqua, intelligitur exclusiue in sola aqua, vt supra notauimus, ergo si Deus præcisè reuelauit Ioanni vt baptizaret in aqua, rectè intelligitur, præscripsisse ritum illius baptismi in sola aqua. Et confirmatur præterea: quia aliàs potuisset Ioannes instituere suum baptismum sub illa forma. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* quod

Baptismus
Ioannis de
Deo institutus.D. Thom.
Sorus.
Canis.
Ioan. 1.

Matt. 28.